



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

20. Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

20. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.*

**D**IVINUM hoc & omnibus credentibus necessarium Sacramentum à Christo Redemptore his verbis institutum suo profano glossemate deprauat insigniter hoc loco Calvinus; & diuinæ Scripturæ aperta doctrina penitus neglecta, sua leetori commēta & figmenta propria obrudit. *Baptizari* inquit *iubet Christus qui nomen Euangelio dederint, seque professi fuerint discipulos: partim ut illis baptismus vite æternæ sit tessera coram Deo, partim apud homines externum fidei signum. Scimus enim Deū nobis testari adoptionis suæ gratiā hoc signo: quia nos inserit in corpus filij sui, ut nos in grege suo censeat. Ideo & spirituale nostrum lauacrum quo nos sibi reconciliat, & noua iustitia, illic representantur. Sed quemadmodum gratiam suam Deus hoc sigillo nobis confirmat, ita quicumque se ad baptismum offerunt, vicissim quasi data syngrapha obstringunt suam fidem. Tota hæc Caluini oratio nihil quam prophana vocum nouitas est, quam nec diuina Scriptura tradit, nec Ecclesia maiorum docuit. Vult baptismū esse tesseram vite æternæ. Hanc tesseram nulla Scriptura nominat. Vult adoptionis gratiam hoc signo Deum testari. Hæc restitatio in Scripturis non legitur. Vult spirituale nostrum lauacrum & nouam iustitiam in baptismo representari. Hanc representationem nunquā Scriptura loquitur. Vult denique Deum hoc sigillo suam gratiam nobis confirmare. Hoc sigillum gratiæ in Scripturis nō apparet. Omnia hæc cerebri Calviniani & scholæ Geneuensis placita ac figmēta propria sunt. Nos verò diuinis Scripturis inherentes didicimus, dicimus, & credimus, baptizari omnes qui nomē Euā-*

gelio

Commēta Calviniana circa Baptismum.

- Baptismi** gelio dederunt, vt remissionem peccatorū confe-  
**verus** quantur. Sic Petrus in primo credentiū baprismo.  
**usus, &** *Baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccato-*  
**efficacia** *rum* Sic Ananias Paulo. *Exurge, baptizare, & ablue*  
**vera.** *peccata tua inuocato nomine Iesu.* Rursum didicimus in  
**Act. 2.** diuinis Scripturis, & credimus, baptismum non  
**Act. 22.** signum aut tesseram aut testificationē aut sigil-  
**Ephes. 5.** lum gratiæ vel adoptionis nostræ esse, sed veram  
**Tit. 2.** causam, mediū, & instrumentum. *Mundauit Eccles-*  
*fiam suā lauacro aque in verbo vitæ.* Est propositio cau-  
*salis, siue quæ mundationis causam & instrumen-*  
*tum designat, sicut qui diceret, Mundauit corpus*  
*suum lauacro aque in Iordane.* Rursum, *Saluos nos*  
*fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S.*  
*id est, per baptismum regenerantem & renouan-*  
*tem, iuxta perpetuam phrasim Hebraicam. *Virga**  
**Ezech. 21** *directionis, id est, dirigens; gladius occisionis, & dies*  
*occisionis, id est, gladius occidens, & dies occidens;*  
*dies vlionis, id est, vliscens, & innumera talia.* Di-  
 cit ergo Apostolus nos saluos fieri per baptismū  
 regenerantē. Ipse ergo regenerat, sed vt causa me-  
 dia & instrumentalis per quam regeneramur. Di-  
 cente alibi Apostolo, *Arbitramur hominem iustificari*  
**Rom. 3.** *per fidem,* rapiunt hoc libentissimē hæretici, vt fidē  
 verā esse iustificationis nostræ causam, mediū, &  
 instrumentū doceant. Cur igitur eidem Apostolo  
 dicenti, *Saluos fecit per baptismum,* similiter non cre-  
 dunt baptismū salutis nostræ causam quandā, me-  
 dium, & instrumentū esse? Rursum ait Petrus: *Su-*  
**1. Pet. 3.** *milis formæ baptismus saluos nos fecit.* Cur hic effectum  
 baptismi non agnoscunt, & salutis causam certo  
 modo effectricem baptismum esse non aduer-  
 tunt; sicut quum aliæ Scripturæ dicunt, *fides ius-*  
*tificat,* effectū fidei obuijs vlnis amplectuntur, &  
 iustificationis causam certo modo effectricē fidē  
 esse,

esse, audissimis animis auscultat? An ut sanā doctrinā admittēt, fidē iustificationis nostrę non nisi tessera, signum, representationem, sigillū esse? An huiusmodi doctrinam ut diuinis Scripturis contrariam non toto pectore execrabūtur? Cur igitur in diuinis Scripturis de baptismo nō secus loquentibus, eadē sinceritate & promptitudine non acquiescunt? Cur relicta propria, aperta, & sæpius repetita diuinę Scripturę doctrina, propria sua figmenta orbi obrudunt? Planum est, Calvinum eiusque cohortem non Scripturas ipsas venerari, attendere, aut humiliter auscultare, sed sui tantūm cerebri figmenta, suę scholę placita, veluti idola quędam ab ipsismet fabricata venerari, complecti, & colere. Porro sigillū hoc totum & tessera Calviniana quā ridiculum & absurdum figmentum sit, in epist. ad Rom. alia

In cap. 4o  
ver. 11.

Sed non est hæc sola hoc loco Caluini dementia. Aliquid habet quod in Catholica Ecclesia hic etiam arrodatur. Id quale sit, paucis quoque expendemus. Porro (inquit) quum Apostolis disertē vnā cum prædicatione Euangelij mandata sint istę partes, sequitur non alios baptismi legitimos esse ministros nisi qui idem simul doctrinam ministrat. Quod ergo priuatis hominibus, imò feminis permessa fuit baptizandi licentia, quia Christi institutioni minime consentaneum est, nihil aliud fuit quā mera profanatio. Adde quum doctrinæ prior datur locus, doctrinæ virtute fieri ut signa nouā naturam induant, sicuti externa carnis lotio spirituale regenerationis pignus esse incipit præeunte Euangelij doctrinā. Atque hæc est genuina consecratio, in cuius locū magicos exorcismos Papatus nobis inuexit. Ideoque apud Marcum dicitur, Qui crediderit & baptizatus fuerit, quibus verbis non modo à spe salutis excludit Christus hypocritas, qui fide vacui externo tantūm

signo

Baptif-  
mus laico-  
rum in  
casu ne-  
cessitatis  
defendi-  
tur.

signo instrati sunt, sed sacro vinculo doctrinae baptismum ex-  
pulat, ut hoc nihil aliud sit quam illius accessio. Hæc ille.  
Totius Ecclesie consuetudinem, qua propter hu-  
ius sacramenti summam in paruulis necessitatem,  
femine & obstetrices periclitante de vita paru-  
lo baptizare permittuntur, homo carpenti au-  
dus carpit, & veluti meram sacramenti profana-  
tionem damnat. Cur id verò? *Quia* (inquit) *Christi*  
*institutioni minime consentaneum hoc est.* At quare insti-  
tutioni Christi hoc repugnat? An Apostolis di-  
ctum est, ut illi soli aut eorū successores baptiza-  
rent? Planè, ait Calvinus. *Quum enim Apostolis mi-*  
*cum prædicatione Evangelij mandata sint hæc partes bapti-*  
*zandi, sequitur non alios esse legitimos baptismi ministros*  
*nisi qui idem simul doctrinam ministrant.* At hæc conse-  
quentia quàm multis modis infirma sit, etiã quo-  
uis Calvinista iudice, statim apparebit. Primum  
enim ipsius Calvini doctrina est, ut paruulorum  
baptismum contra Anabaptistas tueatur, hoc  
Christi mandatū, *Docete baptizantes*, ad solos adu-  
tos baptizandos pertinere, non ad paruulos. Sic  
enim alibi scribit: *Apostolos mittit Christus ad Euan-*  
*gelium vniuersis orbis nationibus promulgandum, ut vniuersis*  
*in regnum suam perditos homines doctrina salutis colligat.*  
*Quos autem illos aut quales? Certum, nullam nisi de*  
*ijs qui doctrina recipiende pares sint esse mentionem. Postea*  
*adiungit, tales, vbi instituti fuerint, esse baptizandos. An de*  
*infantibus toto illo sermone vna est syllaba? Hæc ibi ille.*  
Si ergo de infantibus baptizandis Christus hæc  
nō loquitur, qui doctrinae Evangelicæ recipiende  
pares non sunt; quomodo ex Evangelicæ huius  
predicationis necessitate probat Calvinus, eos  
solos esse baptismi legitimos ministros, qui  
pariter cum baptismo doctrinam ministrant?  
Ecce paruulis baptizandis non est necessaria,  
imò

Institut.  
lib. 4.  
cap. 16.  
num. 28.

Calvinus  
ex seipso  
refutatur.

imò superuacanea prorsus est Euagelica doctrina prædicatio. Non ergo illa cogit eum qui paruulū baptizat, verbi ministrū esse. Non, inquam, verbi minister hīc necessariò postulatur, vbi verbi ministerio opus nō est. Quòd paruuli ab alijs quām verbi ministris urgente necessitate baptizantur, contra Christi institutionem de Euagelica doctrina baptismo adiungenda nihil facit, quia in paruulorū baptismo hæc doctrina Euagelica non requiritur. Ibi est necessarius verbi minister legitimus, vbi verbi ministeriū necessariò adhibendum. In paruulis baptizandis verbi ministeriū necessariū non est. Nec ergo verbi minister. Denique *de paruulis hic nulla fit mentio aut syllaba*, ait Calvinus. Ergo hæc institutionis forma, *Docete baptizantes*, ad paruulos non pertinet. Si ad paruulos hæc forma non pertinet, quare in feminis ex necessitate paruulos baptizantibus hæc forma desideratur? quare contra illas profertur? Prorsus haud secus paruulorū baptismum hæc Calvinus cauillatio in vniuersum aboleret, veluti meram profanationē & institutioni Christi repugnantē (quod Anabaptistæ volunt) quā paruulorū in casu necessitatis à feminis administratū baptismū ex eā abolere Calvinus conatur. Deinde si propter hæc Christi verba, *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. & propter alia Christi verba, *Qui crediderit & baptizatus fuerit*, &c. sacro doctrinae vinculo baptismus copulatur, idque adeò doctrinae virtute signa nouam naturam induant, ipseque baptismus pignus regenerationis nostræ esse incipiat præeunte Euangelio (quæ omnia hīc Calvinus dicit) quomodo in vniuersum baptizantur paruuli, quorum hīc nulla fit mentio, de quibus Christus hīc non loquitur, sed de solis adultis,

Paruulorum baptismus iuxta Calvinū abolerendus.

adultis, qui recipiendæ doctrinæ pares sunt, vt idē Calvinus affirmat? In illorum baptismo hoc doctrinæ vinculū locū non habet, quia ei recipiendæ pares non sunt. In illorū baptismo signa nullam nouam naturam induunt, quia doctrinæ virtus illic non adhibetur. Denique in illorū baptismo nullum erit regenerationis pignus, quia nisi præeunte Euangelio (quod hīc omittitur,) tale pignus esse non incipit. Ita rursus non aduertit cæcus hæreticus quōd aduersus Ecclesiasticam consuetudinem dum oblatrat, Anabaptistarum causam fortiter agit.

Occurrit quidem hoc loco huic malo Calvinus, sed ita miserè ac stolidè, vt Anabaptistæ ferociam magis accendat. Summa responsionis hæc est; *In paruulis baptizandis non separari baptismum à fide vel doctrina, quia licet pueri infantes nondū per ætatem fide percipiant Dei gratiam, Deus tamen eorum parentes cōpellans ipsos etiam complectitur, dicente Deo ad Abraham, Ego ero Deus tuus, & semini tuo post te. Nō ego igitur temere baptismum infantibus conferri, ad quem Dominus eos inuitat dum se illis promittit fore in Deum.* Misera, inquam, ac stolida hæc Caluini defensio est, hoc maximè in loco. Nam vt demus Caluino paruulos ex illa Dei promissione ad Abraham facta pertinere ad fœdus, & esse salutis participes (quod esse absurdissimum mox docebitur) quomodo tamen absq; fide & doctrina Euangelica baptizari possunt, si fides & doctrina à baptismo separari non possunt? An quia pertinent ad fœdus Christianorū parentum infantes, idcirco in illis baptizandis institutio Christi violari potest? Aut enim ad huius Sacramenti institutionem ipsa doctrina Euangelica pertinet, vt absque illa propter sacrum doctrinæ vinculum baptismus

non

Gen. 17.

Paruulorum baptismus miserè à Caluino defensio.

non subsistat, nec signa nouā naturam induant, nec esse pignus regenerationis baptismus possit nisi praeunte Euangelio; aut ad eius institutionem doctrina non pertinet, nec alia quae adiunxit Calvinus vera sunt. Si illa omnia vera sunt, ergo paruulorum baptismus in vniuersum, (non solum quem feminae in casu necessitatis ministrat) profanus & impius est, qui nec fidem habent, nec doctrinae recipiendae pares sunt, ideoque nec sacro illo vinculo gaudere, nec pignus regenerationis suae praeunte Euangelio habere possunt: in quorum denique baptismo signa nouam naturam non induunt, sed aqua baptismi qua abluuntur, tota profana & vulgaris est. Manent, inquam, haec omnia iuxta Caluini doctrinam absurda in paruulorum quocumque baptismo, tamen si verum esset illos iam ad Dei foedus pertinere, quia eorum parentes ad Dei foedus pertinent.

Nunc autem alia haec est & singularis Caluini dementia, quod Christianorum parentum filij ad foedus Dei pertinent, & de salute sua certi sunt etiam absque baptismo, propter illa Dei verba ad Abraham, *Ego ero Deus tuus, & Deus seminis tui post te:* qua hoc loco pluribus refutare ad causam presentem non facit. Breuiter tamen tam impie & profanae sententiae tam futile fundamentum (quo semper magna confidentia & veluti fortissimo principio nititur Calvinus) refutabo. Primum verba illa ad Abraham dicta ad solius veteris populi foedus pertinent: quod manifeste probatur ex pacto foederis reciproco quod ibidem Deus ab Abraham & semine eius exegit. Quum enim dixisset Deus, *Statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis foedere sempiterno, ut sim Deus tuus & seminis*

Christia-  
norum  
parentum  
filij non  
baptizati  
ad foedus  
Dei non  
pertinent,  
Gen. 17.

Funda-  
mentum  
Caluina-  
num re-  
futatur.  
Gen. 17.

E e minis



minis tui post te, dixit iterum Deus ad Abraham, Et tu ergo custodias pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum meum quod obseruabitis inter me & vos & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum. Pactum reciprocum est circumcisio. Ad solos ergo circumcisos hoc pactum pertinet. Confirmatur hoc ex promissione huic fœderi adiuncta. Quum enim dixisset Deus, Ero Deus tuus, & seminis tui post te; subiunxit, Daboque tibi & semini tuam terram peregrinationis tue, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque Deus eorum. Ecce promissio fœderi adiuncta, iuxta quã Deus futurus erat seminis Abraham, tota temporalis erat, & quæ ad solos Iudeos pertinebat. Deinde vt demus in hac promissione terrena spiritualẽ significari, & Deum Abraham ac seminis eius post eum, salutis æternæ fœdus innuere, cuius signum esset circumcisio; an non necessariò sequitur Deum Christianorum parentum sic Deum illorum esse & seminis ipsorum, vt huius promissionis ac fœderis signum nunc sit baptismus, sicut Iudæis erat circumcisio? Id si ita est, non secus erit nunc necessarius baptismus quã tunc erat circumcisio. Et quemadmodum de illa dictum est, *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo;* sic de baptismo necessariò dicendũ: *Paruulus qui baptizatus non fuerit, peribit anima illa de populo suo,* quomodo cunquetandem illa verba intelligantur. Atqui Calvinus necessitatem baptismi in paruulis Christianorum parentum propter hanc promissionem Abraham factam negat; & propter hanc negatam necessitatem, baptismum feminarum in calu necessitatis exagitat. De quo apud Marcum plura dicemus. Interim hoc contra Calvinum tenemus, nõ obstante conficto fœdere inter Deum &

In Marc.  
cap. 16.

& paruulos non baptizatos, quia Deus parentum illorum est, baptismum tamen non secus nunc necessarium esse quam fuit Iudeis circumcisio. Rursum non propter illa verba, *Deus tuus ero, & seminis tui post te*, omnes circumcisi vel de carnali semine Abrahæ ad hoc fœdus diuinum pertinebāt. *Non qui filij carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, estimantur in semine.* Filij autem promissionis sunt soli credentes. *Qui ex fide sunt, benedicentur tum fidei Abraham.* Nec ergo Iudæorum nec Christianorum parentum filijs secundum carnem, Deus fœdere coniungitur, nisi ijs qui fidem habent, aut saltem sacramentum fidei, olim circumcisionem, nunc baptismum. Deinde si paruulis Christianorum parentum nō est necessarius baptismus, quia pertinent ad fœdus cum parentibus initum, & ab hoc fœdere pendet eorum salus, ergo nec eisdem adultis necessaria erit ipsa fides, vel vlla doctrina Euangelica. Si enim ratio fœderis liberat paruulos à necessitate baptismi, cur non eadem ratio liberet adultos à necessitate fidei? Planè eodem modo dictū est, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum caelorum; quod dictum est, Qui non crediderit, condemnabitur.*

Rom 9<sup>8</sup>

Gal. 3.

Ioan 3<sup>8</sup>

Mat. 16.

Præterea vt ex ipsius verbis Calvinum refutemus, ad illa Christi verba, *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*, ita scribit Calvinus: *Quum Dominus Abrahæ semini pollicitus esset se fore in Deum, increduli omnes hac promissione abiecta se abdicabant ex genere Abrahæ. Negat igitur Christus reputandos esse filios Abrahæ qui oblatam sibi in verbo benedictionem abijciunt, quia Spiritu renasci oportet qui sunt filij promissionis, & nouas esse creaturas quicunque locum appetunt in regno Dei. Residet enim Dei electio in semine Abrahæ, sed libera, vt hæredes vitæ reputentur quos Deus Spiritu suo sanctificat.* Hæc ille ibi.

In Comment in Ioan. 8.

39. Calvinus ex seipso r. furatur.

Seipsum egregiè refurauit. Promissio & electio Dei in semine Abrahæ non est absoluta, vt nasci paruulum ex parente fideli fœderisque particeps, promissionis capacem reddat, *sed est in Deo libera, vt hæredes vitæ reputentur quos Deus Spiritu suo sanctificat.* Eodem modo in paruulis est libera Dei electio, vt hæredes vitæ reputentur quos ille Spiritu suo sanctificauit, quos in aqua & Spiritu regenerauit, quos per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti saluos fecit, qui denique in Christo baptizati Christum induerunt. An ab ista conditione omnibus filiis Dei necessaria paruuli excipiuntur? An in illis solis Dei electio libera non est? An conditionem fœderis à Deo prestitutam vllum humanum ingenium laxare audebit? Sapienter & grauius Augustinus. *Nulla ex nostro arbitrio præter baptismum Christi salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura diuina omnibus humanis præferenda ingenijs.* At hoc audet Calvinus superbo suo confusus ingenio.

De pecc.  
mer. &  
remiss.  
lib. 1. c. 23

Calvinus  
Apostolo  
contradi-  
cit.

Gal. 3. 29.

27.

Sed homo impius & audax, vide quàm ex diametro contra Apostolum disputat. Calvinus ita disputat: Paruuli Christianorum parentum sunt semen Abrahæ: ergo sunt Christi & ad Christum pertinet sine baptismo. Apostolus contra disputat: *Si vos Christi, ergo semen Abrahæ estis secundum promissionem hæredes.* Vult prius esse Christi, & sic semen Abrahæ; non prius semen Abrahæ, & ita Christi. Esse autem illos Christi, probauit eodem loco ex baptismo Christi: *Quicumque baptizati estis, Christum induistis.* Sic ergo Apostolus disputat. In baptismo Christum induistis, Christum induti semen Abrahæ estis. Ita fœderis cum Deo principium ac ianua est in baptismo Christum induere & Christi esse, non ex Christiano parente nasci.

Hæc

Hæc obiter contra impium Caluini dogma, quo baptismi necessitatem tollit, & paruulorum salutem in maximum discrimen vocat.

Nunc ut ad rem præsentem redeamus, si propter hæc Christi verba, *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. doctrina Euangelica debet semper esse cum baptismo coniuncta, vicissim quoque baptismus semper debet esse cum doctrina coniunctus, ut videlicet docendum non sit nisi quum baptismus administratur. Imò magis baptismum doctrinæ quàm doctrinam baptismo Christi verba coniungunt, quum non sit dictum, *Baptizate docentes*, sed contrà, *Docete baptizantes*. Quum Scriptura dicit, *Fuit Ioannes in deserto baptizans, & predicans baptismum penitentiae*, non docet eum in deserto semper baptizasse, aut nunquam in deserto fuisse nisi dum baptizaret; sed docet eum quum illie perpetuò versaretur, aliquando baptizasse. Sic hæc Christi verba, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. nihil aliud nos docent, quàm prius esse docendas gentes, & in fide instruendas; iamque satis instructas esse baptizandas. Nec docent doctrinam cum baptismo coniungi debere; sed eam in adultis necessariò præcedere, ut viam ac medium ac terminum ac finem reconciliationis primæ cum Deo, siue regenerationis infidelium: nec baptismo alligant doctrinam, ut extra baptizandi casum docere non sit opus. Tanquam diuersa diuersis & suisquæque temporibus faciendâ à Christo mandantur. Hunc literæ geminum & apertum sensum nemo nisi factiosus non videt.

Iam verò si non nisi cum doctrina Euangelica adiuncta rectè administratur baptismus, Caluinus ipse in Ecclesia Catholica paruulus bapti-

Mar. I.  
Doctrina  
præcedit  
baptis-  
mum, nõ  
cum ea  
coniun-  
gitur.

zatus, quæ doctrinam Evangelicam non adiungit, quomodo baptizatus fuit? Si nō rectē, rebaptizari debuit & ad Anabaptistas transire. Si rectē, falso & ineptē hīc cavillatur de sacro doctrinæ vinculo.

Sed & rursus, si non nisi à legitimis Ecclesiæ ministris administrari baptismus potest, Calvinus ab Ecclesiæ Romanæ ministro baptizatus, aut Ecclesiam Romanam verā esse Christi Ecclesiam, & ex consequenti ab ea recedens suū sefarium Ichisimam agnoscere, aut iterum se minime baptizatum fuisse fateri debet. Ita vndique Calvini stolidi & insulsi tergiversatio retunditur. De hoc autem postremo vide quæ latius olim à nobis disputata sunt in Opere nostro de Principijs fidei doctrinalibus.

Lib. 4.  
cap. 23.

21. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.*

Christus  
perpetuò  
cum Ec-  
clesia.  
Ioan. 17.

**L**VCVLENTA hæc est Christi Redemptoris promissio, fidelis sermo, & omni acceptione dignus. Reversurus ex hoc mundo ad patrem, suisque Apostolis suas partes resignans, mittens eos in mundum, sicut ipse à Patre missus fuerat, mandans illis ut docerent omnes gentes, ut Evangelium omni creature prædicarent, ut baptizarent credentes, ut sua illis tradita mandata alijs traderent, & prefatus omnem sibi in celo & in terra potestatem datam, ne de tanto illis mandato munere vel illi vel eorum futuri successores quicquam trepidarēt, quasi que deinceps absente magistro caelesti, præsidio quoque celesti destituti viderentur, ad certam ac firmam fidu-